

cum reliquarum cursum tenere non posset, Antonii Canalis tremis in hostium potestatem venit. His successibus elatus Dragutes in Cretam iter intendit, ac prope Cydonem militibus expositis, incendiis, ac direptionibus agros vastavit: verum Antonii Calbi Consiliarii virtute, Epirotarum equitum, atque incolarum manu collecta, impetu in hostes facto, non sine plurimorum cæde, ad triremes se recipere coacti fuere.

Laurentius Gritus vii. idus aprilis Byzantio revertitur, quæque a se acta essent, Patribus retulit; se Janusbejum convenisse, ab eo ad Ajacem Bassam perductum: illum de iis, quæ a Venetis adversus Suleimanum gesta fuerant, graviter expostulasse; cur a Senatu legatus non mitteretur, sciscitatum. Ad hæc Gritum, quæ acciderant, ministrorum imprudentia, Republica invita, contigisse: a legato mittendo ob foedus, quod illi cum Christianis Principibus intercederet, abstinuisse: verumtamen si per inducias arma inhiberentur, legationem propediem venturam arbitrari. Verum Ajacis animum haud levius suspicio invaserat, ne induciarum beneficio ad Suleimano illudendum Respublica uteretur, ut transacta æstate, ex Hellesponto Turcica classe non emissa, interea majoribus compatriis viribus, una cum sociis bellum repeteret. Attamen variis hinc atque inde agitatis, in menses tres induciæ pactæ fuere: a xviii. kalend. aprilis usque ad xxi. kalend. juliæ: mox Petrus Zenus, Byzantium legatus, a Senatu designatus est. Laurentio Grito, ut de illius adventu Suleimanum certiores redderet, præire jusso, in mandatis datur, ut de communibus induciis ageret; eaque in re Rinconii, Galliarum Regis legati, opera uteretur: Reipublicæ legatos e carcere educendos, bona mercatoribus restituenda curaret. Statimque de induciis pactis, ac de legatione decreta Pontifex, & Cæsar certiores facti fuere. Pontifex, qui gravissimis in rebus per tractandis longævam ætatem contriverat, Senatum ad inducias, resque cum hoste componendas hortabatur; cum nihil ad opem perturbatis rebus ferendam egregii expectaretur; minime cunctandum, nec tantæ rei, qua salus Reipublicæ periclitaretur, indormiendum esse: ut Cæsar induciis comprehendenteret, sibi probari; sui vero mentionem justis de causis fieri non posse. Cæsari quoque induciæ minime improbabantur; cum illius

1539
Antonii
Canalis tri-
remis a
Dragutes ea-
pta.

Dragutes
ad diripiendam Cretā
proficiens, ab
Antonio
Calbo reje-
ctus est.
Laurentius
Gritus By-
zantio rever-
sus, quæ ege-
rat Senatu
exponit.
Inducie-
trium men-
sium inter
Venetos &
Turcas.

Petrus Ze-
nus legatus
Byzantium
eligitur.
Laurentius
Gritus de-
nuo Byzan-
tium mitti-
tur, & Se-
natus man-
data.

Senatus de
induciis &
legato mit-
tendo Pon-
tificem &
Cæsare cer-
tiores facit.